



IN MEMORIAM MILONIS VAN LEE

Die 15 februarii 1968, in nosocomio Lovaniensi, obiit M. Van Lee, canonicus Parcensis, et membrum Commissionis Historicae Ordinis inde ab anno 1958. Natus in Nuland (Hollandia), 12 Maii 1907, studiis humanioribus absolutis, ingressus est abbatiam Parcensem, in qua habitum religiosum suscepit 9 octobris 1926, professionem religiosam emisit 9 octobris 1928, et sacerdotio auctus fuit 28 augusti 1932. Curriculo studiorum in propria Abbatia absoluto, designatus fuit ut formationem suam theologicam perficeret in facultate S. Theologiae apud universitatem Lovaniensem. In hac facultate doctoratum in S. Theologia adeptus est. Statim deinde in abbatia scientias sacras docuit; varia munia in abbatia ipsi concredita fuerunt; potissimum munus supprioris (24 augusti 1951), magistri novitiorum et professorum (1 maii 1945). Interim magis magisque a perplurimis quaesitus fuit ut secessus spirituales et recollectiones spirituales dirigere dignaretur, non solummodo pro sacerdotibus, sed insuper pro variis centris Actionis Catholicae. Praeterea per plures annos docuit religionem in instituto S. Cordis in Heverlee, magno cum plausu perplurimarum alumnarum huius instituti.

Tandem, mense augusti 1967, munus eleemosynarii et parochi suscepit in instituto psychiatrico S. Camilli de Bierbeek, non longe ab abbatia Parcensi.

In membrum commissionis Historicae Ordinis assumptus, variis occupationibus ex omni parte expetitus, ipsi datum non fuit ut publicationes historicas parare posset; semper tamen membra Commissionis libenter iuvare paratissimus erat consiliis suis; ac sessionibus Commissionis assidue interesse curabat. R.I.P.

Non pauca evulgavit solertissimus Confrater Van Lee. In facultate theologica universitatis Lovaniensis, scripta Anselmi Havelbergensis indagare suscepit. Exinde orta sunt : *Les idées d'Anselme de Havelberg sur le développement des dogmes* in *Anal.Praem.*, XIV, 1938, pp. 5-35. Huius articuli compendium, sub eodem titulo, conscripsit pro *Annuaire-Jaarboek Universiteit Leuven, 1936-1936*, pp. 750-753. - Tres articulos paravit pro *Dictionnaire de Spiritualité*, t. II, fasc. 10 (1945), col. 950 : *Clément*; fasc. 11 (1948), col. 1053 : *Colbert*; col. 1123 : *Collin*. -

In *Theologisch Woordenboek*, I, 1952, kol. 154 v. : *Anselmus van Havelberg*. - Praeterea citerea debent tres articuli periodici *Pro Nostris* : *Inleiding op het Officie van S. Norbertus* : V, 1933, pp. 49-53; *Liturgische Vernieuwing*, XIV, 1948, pp. 6-11; *Gezag en Gehoorzaamheid*, XXIV, 1959, pp. 102-122. - In libro : *De Religieuzen in Gods Kerk*, Brugis, 1964, pp. 93-109, evulgavit : *Kindschap Gods en Kloosterleven*. - Tandem ad effectum foelicem perducere ipsi datum fuit editionem librorum manualium pro sectione superiori Scholarum mediarum, in qua per plures annos religionem docuit. Hi tres libri, editi in Kasterlee, De Vroente, ita ab ipso auctore inscripti fuerunt : *Jesus Christus, de Heiland*, 1963. - *De Kerk van Jesus Christus*, 1965. - *Onze ontmoeting met God*, 1965.